

tute tuos adesse tibi intuearis. Non possum mihi persuadere te hoc animi adversum me habere. Tamen si id cordi tibi est, si non una omnes, saltem unum ex eis ad me per presentium latorem transmittas. Ego prope diem reliquos tibi tuos mittam. Siquid litterarum tuarum mihi impertieris, beneficio affectisti. Vide si an tui amore ego aliquid possim, non me existimes defuturum, priusquam quod te iuvet effecero. Valeas prospere. Hyadrae, V. nonas Octobris [1451].
Str. 26—28.

Izostavljen br. 25, str. 28—30.

26. *Johannes Sobotae Mapheo archiepiscopo Hyadrensi.*

(*Ad marg.*: „Bona est epistola et cuilibet legenti digna“.) Novi excellens ingenium tuum, quam cupidissimus sis magnarum rerum, praecipue strenue ac magnifice gestarum. Hoc insigne ac memorabile facinus, quod hisce diebus ex sententia Senatus non minus prudenter quam fortiter gestum est, ad te vir ornatissime impresentiarum scribere constitui. Bartholomeus Colionus vir in re militari non spernendus, homo sane magni animi, et utinam sapientis consilii fuisset! susceptis maximis et amplissimis ab hoc ordine ornamentis, quae ipsum et posteros eius plurimum honestarent; vix (ut opinio mea fert) sibi maiora tribui poterant, praerant summa cum potestate splendidissimo equitatu, omnium peritorum huiusce disciplinae bellicae opinione nulla gens in tota Italia suae genti conferenda erat. Sed tam immoderata cupiditas dominandi, tanta re ambitio animum eius invasere, ut omnia divina et humana iura facile perversurus videretur. Patribus quibus cura est, ne quid res publica detrimentum caperet, haec animi elatio perniciose visa est, et a quiete publica vehementer aliena. Animus paratus ad periculum si sua cupiditate non utilitate communi impellitur; audaciae potius quam certitudinis nomen habet: ut sapientes litterarum monumentis pulcherrime tradidere. Ex hac elatione et animi magnitudine, facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus nascitur. A patribus conscriptis contemptum est ipsum imperata negligere, nimis alta ac immoderata petere, cum hoste sentire. Hac indignitate rei decemvirum severissimus ordo compulsus, more maiorum in Colionum tamquam in improbum et audacem animadvertere statuit, N. Canalis, qui hac tempestate decreto Senatus una cum magnanimo Gentile in castris erat, mandat omni studio quam diligentissime curaret, ut Bartholomeus cum omnibus suae factionis militibus in praedam ac dirreptionem traderetur. Susceptis literis, nulla interiecta mora, Gentilem proconsulem et magnificum Jacobum Picen. fortissimos et amantissimos reipublicae viros vocat; omnem rem exponit; quae voluntas sit Senatus, ostendit. Illi autem qui omnia de republica praecleara ac egregia sentirent, sine recusatione et sine ulla mora negotium suscipiunt. Et cum advesperasceret cum circiter V. milia electissimorum equitum, composito exercitu, prout temporis angustiae patiebantur, ad stationem Bartholomei (erat enim in agro Veronensi) incredibili celeritate con-

tendant, ut illum nihil suspicantem facilius opprimerent. Ea nocte confecto maximo itinere ferme LV. milia passuum, sunt nonnulli qui tradunt, sole oriente, sublato clamore militari de more, stationes Colionensium militum audacissime et cupidissime invadunt ac diripiunt, nihil preter libera corpora relinquunt. Bartholomeus novitate rei exteritus, fuga saluti consuluisse dicitur, ornatissimis armis, pulcherrimis equis, nostri magna cum laetitia ac alacritate potentiuntur, quicquid auri argentique ex Gallorum Alobrogumque manubiis apud Bartholomeum congestum fuit, id totum parvo momento hosti fortuna elargita est, quae nihil magnarum ac laetarum rerum integrum parumque permittit; set bona simul ac mala miscens mortalium vita affligit Nonne magnam partem et gloriae illorum praeclarissimorum preliorum quam cum Gallis Alobrogisque fortissime dimicando militari virtute vendicaverat, hæc insigni calamitate fortuna evertisse videtur? Littere preterea publice et privatae quaecunq̄ue repertae sunt integris signis proconsuli tradite sunt, indices suorum consiliorum. Circiter III. centi milites quadrato agmine Lignacum contendunt, quos magnificus Carolus magni Bracii filius consecutus, audacissime invadit, tumultuarie ex itinere dimicare coguntur; tandem captis non amplius XIII. equitibus, caeteri incolumes tum fugiendo, tum strenue dimicando, inter maenia et valum consistunt pretoris fidei sua omnia divina et humana permittunt, pro vallo pugnant. Pretor Carolum monet, ne dedititios oppugnet, tandem ab urbanis peditibus reiectus est, susceptis duobus periculosissimis vulneribus, ad suam stacionem defertur; quid de militibus statuendum sit, Senatus hæc animadversio est. Bartholo in quodam agri Mantuani oppido se continet, erepta etiam omni spe; quae homines sola in miseriis consolari solet; publicatis bonis, hostis a Senatu iudicatus est. Nihil praeter hæc relatu dignum gestum est. Vale vir ornatissime et me tibi commenda. Ex Venetiis, IIII. kalendas Julii 1451. Post scriptas et obsignatas litteras, nunciatum est Bartholomeum ex agro Mantuano ad Ducem Mediolani se contulisse. *Str.* 30—33.

Izostavljeni br. 27—28, str. 34—35.

29. *Ad Vicarios nostros Pagenses.*

Expectavimus his diebus, ut decimarii illi nostri ad assignatum terminum istuc venientes persolverent nobis reliquam sui debiti partem, nec tamen venerunt. Quocirca cum nobis in presentiarum quam plurime incumbant expensae et angarie; maxime autem III. Dominationi nostrae, cui pro taxa mihi imposita citra persolvere compellimur. Precipimus ergo vobis, ut dictis debitoribus decimariis nostris denunciatis terminum nomine nostro octo dierum ad satisfaciendum nobis pro reliqua parte, quod si negligentes fuerint, ac predictum octo dierum terminum per incuriam transgressi fuerint, mandato et auctoritate nostra eos per censuram ecclesiasticam compellentes, omnino cogatis, sive mediante foro seculari, sive anathe-